

& deinde subicitur, excellentes probatiq̄ue Auctores frequenter Syllogismos architectati sunt. Ergò ille modus erit Figura aliqua Syllogismorum. Minorem auctoritate Aristotelis, Ciceronis, Macrobiani &c. probari, inquit Regius *disp. log. lib. 4. probl. 5. pag. 154.* ubi exemplum Macrobiani adfert sic argumentantis: *Anima seipsam mouet. Quod se ipsum mouet, est immortale. E. anima est immortalis.*

§. XVIII. (5.) Quicumque Syllogismus perpetuò & in omni materia conclusionem certam concludit, ille non est inutilis. Sed Syllogismi quartæ Figuræ perpetuò & in omni materiâ conclusionem certam concludunt. E. Majorem probant ex doctrina Aristotelis à contrario. Illi enim modi sunt inutiles, qui nihil certi concludunt, & ex eadem propositionum complicatione modò affirmativa, modò negativa exsurgit conclusio. Talis modi verò Syllogismos in singulâ Figurâ consideravit Aristoteles & rejecit, ut inutiles. Quod asserere non possumus de modis quartæ Figuræ; affirmativus enim semper particularem affirmativam, nunquam negativam; & negativus semper particularem negativam, nunquam affirmativam concludit.

§. XIX. (6.) Si præmissarum transpositio parit novum modum, quidnâ pariet etiam novam Figuram, si simul contingat mediæ termini situm mutari. Antecedens probatur ex modis *Cesare* & *Camestres* in secunda Figura, & ex *Disamis* & *Datifi* in tertia Figura, ubi sola præmissarum transpositio diversos hos modos constituere solet. Consequentia exinde stabilitur, quia, ubi præmissæ transponuntur, & terminus mediæ alium situm occupat, ibi non potest non nova suboriri Figura.

§. XX. (7.) Quæcunque Figura tales conclusiones infert, quæ in tribus Figuris inferri non possunt, ea non est rejicienda & inutilis pronuntianda. Sed quarta Figura
Gale-